



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

Ad Fontem Polycrenen Bavillaeo In Agro Aquarum Copia Nobilem. Ode  
XXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

O utinam spreto famæ popularis amore,  
 Aulæque nimium lubricis favoribus,  
 Materies vestri posthac sit carminis, unus  
 Dignum labori redditurus præmium  
 Terrarum cœlique pater! cui dextra creatrix  
 Cum promat ultro quas det immensas opes,  
 Ipse suis gestit sese superaddere donis.  
 Hac sorte lætus, his bonis circumfluens,  
 Non merui injusto causam tribuisse dolori.  
 Amici amico siene felici invident?  
 Gratari potius, decorique applaudere nostro  
 Fides monebat. Cur inanes lacrymas  
 Perditis? ah! ne flete paterna in regna receptum:  
 Sed flete vestrum tandiu exilium trahi.

## AD FONTEM POLYCRENEN

BAVILLÆO IN AGRO AQUARUM COPIA NOBILEM.

## ODE XXIII.

O Fons, ocelle ruris atque uber tui!  
 Heri ô voluptas innocens!  
 Tuamne certem pauperis venâ ingenî  
 Æquare Yates copiam?  
 Cui par, nec ille fuerit Aonios liquor  
 Movere cantus efficax:  
 Nec quæ Sicano lymphæ servatur mari,  
 Fluvium procacem dum fugit.  
 Non te superbo Parius hinc ambit lapis,  
 Hinc concha dives margine.  
 Non alta regum tecta, picto in alveo  
 Tumidus videri, perfluis.

Z ij

Sed musco, & udo gramine agrestem paras  
Tibi ipse thalamum rusticus;  
Et inter umbras, atque aperta vallium,  
Vitreo fugax curris pede.  
At ne pudori sit tamen, quod nil manus  
Tibi fabra cultûs addidit.  
Caduca dos est artis: æternus manet  
Crescitque naturæ decor.  
Sorte ô tuâ beate! Lamonidæ places:  
Hunc nuda simplicitas capit.  
Fuci animus expers scilicet mores suos  
In te intuetur & probat.  
At nunc in undis lene decurrentibus,  
Placidoque fufis agmine;  
Siticulosis, specimen eloquii exhibes,  
Blande influentis auribus.  
Nunc liberalem pingis, & avaras opes  
Sibi retinere nescium:  
Seu cum ardet æstas, fers bonus violis opem,  
Herbisque supplicantibus;  
Seu vitæ egentes populos felicibus  
Rigando lymphis recreas.  
Nec te rapacis more torrentis iuvat  
Late ruinis crescere:  
Corripere messes, nemora, cumque ovilibus  
Ipsas colonorum domos.  
Herum æmularis nempe; quem nulli gravem,  
Cuncti benignum sentiunt.  
Hunc ipse sentis, quando reclinans caput  
Amatæ in oræ gramine,  
Æstum liquore temperat gelido & suis  
Te consecrat sudoribus.

Trepidæ laborant undæ, & alternis manus  
 Gaudent adorare osculis:  
 Justâ hinc tumentes se ferunt superbiâ,  
 Dulcique plenæ imagine,  
 Monti obviisque vallibus Lamonium  
 Fluctu loquuntur garrulo.  
 Jure ergo, fons venuste, delitias suas,  
 Suosque amores te vocat.  
 Teque Polycrenen jure dici vult, novo  
 Plaudente famâ nomini.  
 Quod si futuri certa mens rite augurat,  
 Inestque numen vatibus;  
 Olim Hippocrenen occupatam barbaris  
 Meliore reddes omine:  
 Phœbo & relicto, sacra Musarum cohors  
 Unum colet Lamonium.

A D I L L. V.

GUILLELMUM LAMONIUM SENATUS PRINCIPEM.

P O L Y C R E N E B A V I L L A N A.

O D E X X I V.

**P**RINCEPS maxime Gallici senatus,  
 Gratias tibi maximas, Lamoni,  
 Ago Nympha tui beata ruris;  
 Et pro nomine quod mihi dedisti,  
 Quo mutare suum optet Hippocrene;  
 Et pro carminibus quibus poëtæ  
 Certatim Latii que Gallicique  
 Æternare meos student honores.

Z iij